



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Resolvitur difficultas proposita

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

virtutis relicta homo operatur, etiam si tunc nihil cogitet de tali fine: sicut si quis determinat ire, Ierololyam ad sanctum sepulchrum, & in virtute huius conditionis conducit equum, pergit ad portum, navem ingreditur, & iter longissimo tempore facit, omnia hæc sunt propter illum finem virtualiter, etiam si non cogitet amplius de illo fine, eò quòd virtus ejus maneat in illis medijs. Tandem dicitur agere propter finem interpretativè, quando operatur circa aliquod objectum, quod ex natura sua ordinatur ad finem, quem tamen pro tunc neque actu cognoscit, neque actu intendit: v.g. qui dat eleemosynam propter honestatem misericordiam, nihil de Deo vel beatitudine cogitans, censetur operari interpretativè propter Deum, & propter beatitudinem; quia ipsum bonum honestum, quod expressè intenditur, ex natura sua refertur in Deum, & est medium, quo tendimus in beatitudinem. Hic modus operandi propter finem dicitur à quibusdam virtualis ex parte objecti, sive operis; alter verò appellatur virtualis ex parte agentis, sive operantis.

Notandum tertio, sive potius supponendum, quòd homo non omnia vult actualiter propter ultimum finem formalem, seu beatitudinem in communi: experientia liquidem constat, quòd intellectus non cogitante formaliter de illa, sæpe voluntas operatur. Admittunt enim omnes, hominem habitualiter aliquo modo operari propter ultimum finem formalem, ratione propensionis & inclinationis naturalis, quam res omnes habent ad suam beatitudinem: Solus ergo restat controversia inter Theologos, autendat semper in finem ultimum virtualiter, vel interpretativè solum; vel ut alij dicunt, an velit omnia propter ultimum finem virtualiter ex parte operantis, vel solum virtualiter ex parte operis?

§. II.

Resolvitur difficultas proposita.

Dico primò. Quotiescunque voluntas liberè & humano modo operatur, tendit ad finem ultimum formalem, saltem interpretativè. In hac conclusione conveniunt omnes ferè Theologi, exceptis illis, qui censent voluntatem posse ferri in malum sub ratione mali, quos adducemus infra quæst. 8. Scart. 1.

Probatum ratione D. Thomæ hic art. 6. Voluntas non potest velle nisi bonum, ut loco citato ostendimus: Vel ergo appetit bonum perfectum & consummatum, vel imperfectum & inchoatum: Si primum, reverà intendit finem ultimum formalem: bonum enim perfectum & consummatum appetitum est ipse finis. Si secundum: ergo saltem interpretativè tendit ad finem ultimum: quia quando intenditur pars, vel inchoatio alicujus boni, interpretativè appetitur totum, vel consummatum ejus. Exempli gratia, qui fundamenta domus jacit, censetur velle domum continere, quia fundamentum est inchoatio domus, & ipsa domus inchoata: & in naturalibus generans, seu natura producens formam embryonis, interpretativè censetur velle formam animalis, seu perfecti viventis, cujus embryo est veluti quædam inchoatio: Atqui bonum imperfectum est pars, vel inchoatio ultimi finis, scilicet boni perfecti & consummati;

A incipit enim perficere ipsum hominem, & ejus appetitum aequaliter satiare: Ergo quotiescunque voluntas liberè & humano modo operatur, tendit ad finem ultimum formalem, saltem interpretativè.

Confirmatur: Tunc voluntas dicitur interpretativa, quando operans appetit aliquid, quod ex natura sua ordinatur ad aliud, de quo tamen operans tunc non cogitat: verbi gratia cum quis sumit alimentum, quod ex natura sua ordinatur ad nutritionem, sed de nutritione pro tunc nihil cogitat, censetur interpretativè velle nutritionem. Similiter qui dat eleemosynam ex motivo misericordiam, nihil cogitans de Deo, nec ullum quidem cognoscens (ut Paganus) censetur interpretativè illam dare propter Deum auctorem naturæ; quia eleemosyna ex se ad illum ordinatur. Item dum homo vult aliquid contra rationem naturalem, ex consequenti, & interpretativè vult illud contra legem æternam, ad quam ratio naturalis ordinatur, & cujus est participatio: Ergo similiter, cum quis vult bonum particulare, nihil cogitans de fine ultimo, virtualiter vult finem ultimum, eò quòd bonum particulare ex natura sua ad finem ultimum ordinatur, & sic veluti quædam ejus inchoatio & participatio. Hinc Sancti Patres & Philosophi sæpe dicunt, omnia quæ appetit homo, appetere ut felix & beatus sit. Quod adeò verum est, ut D. Augustinus tractatu de Epicureis, & Stoicis capite 3. dicat: *Qui malus est, malus non esset, nisi inde se beatum esse posse speraret.* Et paulò post: *Pone aliquem furem, quæro ab illo, quare furtum facit; ut habeam inquit, quod non habebam. Quare vis habere, quod non habebas? quia miserum est non habere. Si ergo miserum est non habere, beatum putat habere: sed in eo imprudens est, & errat, quia de malo vult beatus fieri.* Idem docet sermone 1. in Psalm. 118. his verbis: *Beatum esse tam magnum est bonum, ut hoc & boni velint & mali. Nec mirum est, quòd boni propterea sint boni: sed illud est mirum, quòd etiam mali propterea sint mali, ut sint beati; nam qui suis libidinibus deditus, luxuria stuprique corrumpitur, in hoc malo beatitudinem querit.*

Dico secundo: Quicquid homo vult in particulari liberè & humano modo, vult propter ultimum finem formalem, virtualiter ex parte operantis. Ita docent plures ex nostris Thomistis, contra Curielem, Lorcam, Suarem, Vazquem, & alios.

Probatum primò ex D. Thomæ hic art. 6. in resp. ad 3. Cum enim sibi objecisset, quòd non semper homo, cum vult aliquid, cogitat de ultimo fine, atque adeò non semper operatur propter illum: respondet, quòd non oportet ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quando cumque aliquid appetit vel operatur: sed virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscumque rei, etiam si de ultimo fine actu non cogitatur: sicut non oportet quòd qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine.

Respondent Adversarij: quòd cum D. Thomas inquit virtutem primæ intentionis esse in quolibet appetitu cujuscumque rei, non loquitur de intentione formali præcedenti, sed de virtuali, quæ continetur virtualiter in appetitione cujuscumque boni particularis, & quæ, ut diximus notabili 2. interpretativa à Theologis nuncupatur.

Sed contra primò. Hæc explicatio est violenta.

ta; nomine enim primæ intentionis D. Thomas A intelligit præteritam intentionem, quæ debet formaliter præcedere, ut maneat virtute in volitione bonorum particularium, sicut in itinere, ut intentio finis itineris maneat virtute in itinere, necessarium est, quod formaliter præcesserit.

Deinde, si non loqueretur de intentione formali, sed de virtuali, non recte diceret, quod illa præcessit: quia virtualis intentio finis ultimi, in appetitione cuiuscunque boni particularis virtualiter contenta, non præcessit, sed tunc est maxime præsens, quando exercetur illa, in qua includitur; unde etiam talis intentio non recte appellatur prima.

Præterea D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. quæstionem, 4. ad 6. ait: *Desiderium beatitudinis virtute est in omnibus alijs desiderijs, sicut causam effectum.* Præcedit ergo volitio expressa ultimi finis formalis ut vera causa, cuius virtus manet in quolibet actu, seu in appetitione cuiuscunque boni particularis. Unde

159. Probatur secundo conclusio ratione fundamentali. Omnia actum voluntatis circa bonum particulare præcedit volitio formalis, & explicita finis ultimi in communi, seu beatitudinis: Ergo quotiescunque homo tendit ad aliquem finem proximum, & appetit bona particularia, vult ea virtualiter propter ultimum finem formalem. Consequentia videtur legitima: quia quando præcessit intentio finis ultimi, relinquitur ex illa in voluntate virtus ad appetendum finem proximum, & bona particularia: Ergo tunc ea virtualiter appetit propter ultimum finem.

160. Antecedens verò ostenditur primò ratione D. Thomæ hic art. 6. Impossibile est, quod causa secunda efficiens operetur, nisi præsupponat influxum causæ primæ: Ergo etiam repugnat quod finis proximus moveat, nisi præsupponat influxum finis ultimi communis. Sed causalitas & influxus finis est appeti, seu desiderari, sicut influere causæ efficientis est agere: Ergo impossibile est, quod finis proximus moveat, nisi volitio, seu desiderium finis ultimi præcedat. Minor, & ultima Consequentia patent. Prima verò probatur: quia sic se habet in movendo finis ultimus respectu finis particularis in genere causæ finalis, sicut in genere causæ efficientis se habet primum efficiens ad causas efficientes particulares: non minus enim finis ultimus sibi subordinat omnes fines intermedios, quam prima causa efficiens omnes causas secundas particulares.

161. Secundò probatur idem Antecedens. Actus, quo voluntas vult finem ultimum in communi, est naturalis & necessarius, quantum ad specificationem, ut ostendemus infra qu. 9. Ergo semper præcedit omnes actus voluntatis circa bona particularia. Probatur Consequentia: quia voluntas prius est natura, quam potentia libera; natura enim voluntatis supponitur libertati, & non è contra: Ergo actus ejus naturales & necessarii, ut est volitio finis ultimi in communi, debent præcedere liberos, quales sunt volitiones bonorum particularium.

162. Confirmatur: Omne, quod est varium & incertum, reducitur in aliquid certum & stabile, ne detur processus in infinitum: sicut ob eandem rationem omnis motus in aliquid fixum & immobile debet reduci: Sed omnis volitio

libera, qualis est actus voluntatis circa bonum particulare, est varia. mobilis & incerta juxta illud Sapient. 9. *Cogitationes mortalium similes & incerte providentia nostra*: Ergo debet reduci ad aliquam volitionem naturalem & necessariam, qualis est volitio finis ultimi in communi, subindeque eam præsupponere.

Tertiò probatur principale Antecedens: Sic se habet finis ultimus in communi ad omnia bona particularia, sicut finis particularis ad media ipsius: Sed intentio finis particularis necellario antecedit electionem mediolorum illius ordinis, ut patet in medico, qui prius habet formalem voluntatem sanandi infirmum, quam eligat, & apponat media & remedia ad sanitatem conducentia: Ergo similiter intentio ultimi finis in communi debet præcedere quamcumque aliam volitionem bonorum particularium.

Respondent Advertiser: quod licet volitio finis ultimi in communi, seu beatitudinis, præcedat volitionem quorumcumque bonorum particularium, non potest tamen virtualiter influere in actus voluntatis, qui postea sequuntur, quia cum sæpe voluntas suspendat omnem actum, & desinat operari, sæpe etiam interrumpitur omnino hæc intentio finis ultimi, nec manet virtualiter in medijs; quia (inquunt) tunc solum virtus præcedentis electionis potest conservari in medijs, & de uno derivari in aliud, quando ipsa media non solum sunt subordinata fini volito, sed etiam inter se, ita ut unum sit quasi finis alterius: unde quia singularia bona, quæ quis appetit, est omnia sint media ad ultimum finem formalem, qui est beatitudo in communi, non sunt tamen inter se ita connecta, ut unum habeat rationem medij ad aliud, ideo illa virtus finis non potest conservari in volitione bonorum particularium, nec transire extra volitionem finis particularis ad aliam.

Verum hæc solutio & doctrina, in qua constitit præcipuum adversæ sententiæ fundamentum, facile potest confutari. Cum enim intentio finis ultimi in communi, seu beatitudinis, sit volitio finis generalis, ejus influxus debet, virtualiter saltem, se extendere ad omnes volitiones secundarias; sicut influxus primæ & universalissimæ causæ efficientis, ad omnes in universum effectus se extendit.

Nec obstat quod hæc intentio sæpe interrumpatur: ut enim virtualiter influat in volitionem bonorum particularium, sufficit quod nunquam retrahatur, & quod sæpe resumatur & reiteretur: quoties autem homo incipit de novo operari, & ejus voluntas aliquid velle de novo, ad quod ex præcedentibus volitionibus non erat determinata, & in actu, toties volitio formalis & explicita finis ultimi in communi, præcedit necessario electionem quamcumque; ut colligitur ex Augustino 11. de Trinit. cap. 6. ubi loquens de quibusdam actibus voluntatis, & volens ostendere quæ ratione in finem ultimum omnes referantur, ait: *Omnes ista atque tales voluntates proprios fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis quæ volumus bene vivere.*

Ratio etiam id suadet: cum enim voluntas humana de se sit in potentia ad omnes actus, & ab existente in potentia, ut tali, non possit procedere actus determinatus; voluntas hominis non potest se movere ad aliquem actum determinatum, nec bonum aliquod particulare appetere, nisi prius saltem natura constituitur in actu, per

per aliquem alium actum precedentem, ad quem non se moveat, sed moveatur & applicetur à Deo: Sed hic actus non est intentio finis particularis: cum quia in intentione finis particularis simpliciter peccat voluntas, & per consequens ad eam specialiter non movetur à Deo: tum etiam quia finis proximus non est ratio adaequata movendi voluntatem ad operandum, cum non sit ipsius faciativus: Ergo voluntas non potest aliquid velle de novo, nec aliquid bonum particulare appetere, nisi prius saltem natura, sit constituta in actu, per volitionem finis ultimi communis, seu beatitudinis ut sic, ex qua deinde se moveat ad hunc vel illum particularem finem appetendum, qui est pars & inchoatio finis communis. Unde D. Thomas infra qu. 9. art. 6. ad 3. *Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum; & sine hac universalis motione homo non potest aliquid velle.* Valde ergo probabile est, quod non solum in principio usus rationis, quando homo humano modo incipit operari, sed etiam quotiescumque incipit aliquid velle de novo, ad quod ex precedentibus volitionibus non erat determinatus, Deus ut motor generalis movet & applicat ejus voluntatem ad volitionem finis ultimi, seu beatitudinis in communi; ex quo postea voluntas se movet ad volitionem quorumcumque bonorum particularium.

Neque obstat si dicas, nos saepe experiri, quod appetimus finem proximum & bona particularia, non cogitando de fine ultimo in communi, & de beatitudine ut sic: cum enim intentio illa sit imperfecta & confusa (sicut & obiectum commune & confusum est) & fiat sine reflexione & attentione, non mirum, si ad eam non advertamus, vel illius non recordemur. Quod etiam in intellectu apprehendente primum in communi, quam objecta particularia, contingit.

Quod autem illi Authores addunt, nempe tunc solum intentionem finis ultimi conservari in medio, & ex uno derivari in aliud, quando sunt inter se subordinata, ita ut unum sit quasi finis alterius, omnino falsum est. Nam virtus primae intentionis, quae remanet virtualiter in primo medio, non solum ex illo communicatur secundo medio subordinato priori; sed etiam secundo disparato, dummodo sit verè medium ad principium finem: v. g. cum quis ex voluntate eundi Romam conducit equum, & illò conductò reperit currum, & non reperit intentionem finis, dimisso equo conducit currum, & eum vultem, & preparat cibaria; quis dicat eum omnia haec non operari propter finem itinerantis, & non itinerari propter finem eundi Romam? tamen ista media non subordinantur ad invicem, sed solum omnia conducunt ad principalem finem itineris.

Denique suaderi potest conclusio alia ratione principali. Homo in volitione cujuscumque boni particularis, proprie, & modo humano operatur propter finem ultimum, seu beatitudinem in communi; Ergo in quolibet actu, virtualiter saltem, & non solum interpretative, tendit in ultimum finem formalem. Probatur consequentia: quia agere propter finem non intentum, sed virtualiter, ab operante, sed imbibitum, in ipsa operatione seu objecto ejus & cognitum solum ab Auctore naturae, est modus tendendi

A in finem imperfectissimus, competens & brutis, & ipsis etiam rebus inanimatis, ut patet ex dictis art. 3. Ergo si homo in volitione cujuscumque boni particularis, proprie & modo humano operetur propter ultimum finem, seu beatitudinem in communi, illam intendit, saltem virtualiter, ex parte operantis, & non solum interpretative, sed virtualiter tantum ex parte operis quatenus scilicet operatio ipsa ex natura sua est ordinata in talem finem.

Dico tertio: homo in omni operatione humana agit, saltem virtualiter, propter aliquem finem ultimum materiale, seu in particulari, verum, vel apparentem.

Hac conclusio sequitur ex dictis in precedenti: cum enim intentio sit appetitus efficax finis, & illum ut futurum & obtinendum respiciat, non potest ferri in rem communem, ut omnino abstractam à subjecto, sed in rem communem, ut in subjecto in quo revera potest existere, seu existimatur posse existeret: Ergo quotiescumque homo intendit finem ultimum, seu beatitudinem in communi, de facto vult aliquem finem ultimum in particulari, applicando talem rationem felicitatis, seu ultimi finis, alicui rei, seu aliquibus rebus, hoc est Deo, vel virtuti & bono honesto, aut bono delectabili & vitio; licet per effectum inefficacem, & simplicis complacentiae, possit ferri circa beatitudinem in communi, & abstractam ab omni subjecto.

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBIECTIONES primò contra primam conclusionem: Si ex eo quod quodlibet bonum particulare est aliqua pars boni ut sic, seu quaedam inchoatio boni perfecti, non potest quis tendere in aliquod bonum particulare, nisi hoc ipso interpretative velit bonum ut sic, sequitur quod homo, etiam dum peccat, interpretative saltem appetat Deum, & propter illum operetur: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur. Homo dum peccat, appetit bonum aliquod creatum: Sed omne bonum creatum est quaedam participatio bonitatis divinae, ex natura sua ad illam ordinata, sicut imperfectum ad perfectum, sicut inchoatio ad consummationem, & sicut pars ad totum: Ergo homo dum peccat, interpretative saltem appetit Deum, & propter illum operatur. Unde Augustinus lib. 2. Confessionum cap. 6. sic ait: *Perversè te imitantur omnes qui longe se à te faciunt: sed etiam sic te imitando judicant Creatorem te esse omnis natura, & idè non esse quod à te omnino recedatur; quia scilicet ad quodcumq; creatum bonum se convertunt, hoc ipsum, quatenus boni rationem habet, est aliqua participata perfectio divini esse tui: idè qui illud volunt & querunt, censentur (licet perverso modo & ordine) divinum bonum, atque adè Deum qui est omnis plenitudo boni, concupiscere & velle.* Item D. Thomas 1. p. qu. 6. art. 1. ad 2. & qu. 44. art. 4. ad 3. & lib. 3. cont. Gentes cap. 17. 20. 21. & 22. & de verit. qu. 22. art. 2. docet res omnes, dum appetunt suam perfectionem & suum bonum, Deum appetere, quatenus perfectiones omnium rerum sunt quaedam similitudines & participationes divini esse.

Probatur hanc rationem, & utriusque S. Doctoris auctoritatem, aliqui censent omnes actio-